

discrepantiamve non statim deprehendit, eas cum tertiâ notatione magis notâ componit, ut illius ope inferre possit an inter se conveniant necne; tunc obtinet ratiocinium.

Hæ sunt tres *præcipuæ* rationis humanæ operationes, ad (1) quas cæteræ, utpote merè *subsidiariæ*, facilè revocari queunt, nam *attentio*, *reflexio*, *comparatio*, *abstractio* et *generalisatio* conspirant totæ ad præparandum vel clariùs explanandum ideas, judicia et ratiocinia (2).

2° Itaque Dialectica disputandum habet 1° de ideis, 2° de judiciis, et 3° de ratiocinio. Prima enim mentis operatio eademque simplicissima est idea sive apprehensio; secunda autem, jam minùs simplex, est iudicium; et tertia maximè complexa, ratiocinium. Cæterùm, idea refertur ad iudicium, iudicium autem ad ratiocinium, quo tandem *terminatur* inquisitionis processus et elicitur demonstratio.

CAPUT I

DE IDEIS, SEU DE SIMPLICI APPREHENSIONE

161. Idea spectari potest vel prout in mente existit, vel prout vocabulis exprimitur; hinc disserendum est 1° de ideis in se consideratis; 2° de terminis; 3° de definitione, et 4° de

(1) Cf. S. Thom., *in lib. I Periherm.*, lect. 1^a; Bossuet, *Log.*, l. I, c. iv.

(2) Attentio est applicatio mentis ad aliquam rem vel ideam inspicendam; reflexio est actus mentis considerantis suas operationes, v. g. suas ideas, suave iudicia aut ratiocinia, ut ea vel exactæ subiciat analysi, vel meliùs dirigat; comparatio est actus quo inter se conferuntur plures res vel ideæ, ut videatur quid simile, quid dissimile habeant; abstractio est actus quo in aliquâ re vel ideâ consideratur una proprietas, neglectis impræsentiarum aliis; generalisatio demum, est actus quo proprietas aliqua, in quibusdam entibus observata, redditur universalis seu habetur ut communis omnibus entibus ejusdem speciei.

divisione, quæ sunt *media* quibus licet ideas ac terminos præcisâ ratione declarare.

ARTICULUS I

De ideis in se consideratis.

162. Ideæ *trifariâ*m inspici queunt, nam 1° quærere licet naturam objecti quod repræsentant, ut fit in Ontologiâ; 2° originem earum seu modum quo eas adquirimus, ut fit in Ideologiâ; 3° earum numerum, subordinationem, variam aliarum ad alias relationem, quomodo aliæ ad alias revocentur, aliæ sub aliis contineantur, aliæ de aliis prædicentur; hoc autem fit in Logicâ.

Isto modo aspectæ ideæ vocantur *intentiones* sive notionem *secundæ*; dicuntur autem intentiones *primæ*, prout ab Ontologiâ traduntur. Ratio est, quia Logica iis studet, prout sunt mentis conceptus, Ontologia verò, prout sunt in seipsis objecta quæ repræsentant. Porro forma quam habent res in seipsis, priùs et principaliter eis convenit; forma autem quam in mente nostrâ recipiunt, nonnisi posterius et secundariò, in quantum ope reflexionis eas disponimus in diversos modos sive subjecti et prædicati, sive generis, speciei aut differentiæ.

Circa ideas logicè consideratas quinque sunt exponenda: 1° Harum natura; 2° comprehensio et extensio; 3° variæ species; 4° reductio ad universalissimas ac supremas; 5° generum ac specierum partitio.

§ I. — De ideæ naturâ.

163. Idea (1), quoad *nomen* inspecta, oritur ex græcâ voce εἶδος quæ idem sibi vult ac *imago*, *visio*. Vocatur adhuc *notio*, *apprehensio*, *conceptus*, quæ voces ideæ naturam et opus mentis clarè indicant.

(1) Apud S. Thomam et veteres, idea propriè usurpatur ad significandum exemplar in mente existens, juxta quod artifex operatur.

Quoad rem, definiri potest: *Repræsentatio mera et intelligibilis alicujus objecti in mente existens.*

Dicitur 1° *repræsentatio*, quia idea essentialiter est *repræsentativa*, quatenus semper aliquam præ se fert perceptionem.

Dicitur 2° *repræsentatio mera*, seu notio tum *affirmationis*, tum *negationis* expers; quare scholastici eam vocant perceptionem *incomplexam*, iudicium autem perceptionem *complexam* nominant.

Dicitur 3° *repræsentatio intelligibilis*, tum quia recipitur in intellectu, tum quia repræsentat rem ut *intelligibilem*, seu in suâ *veritate* et *intimâ naturâ*. Hinc omnino differt a repræsentatione quæ fit in *sensu*, vel in *phantasiâ*. Nam actum intellectûs præcedit et comitatur semper actus imaginationis, quæ *sensibile* quoddam phantasma exhibet. At quanta est inter *imaginari* et *intelligere* distantia, tanta inter speciem imaginatione exhibitam, et speciem *intellectualem* quam ideam vocamus.

Nam phantasma omnino abstrahit a veritate rei, sed eam *depingit* solum *externo* et *sensibili modo*, nec propriè repræsentat nisi res *individuas* ac *physicas*, dum idea amplecti potest omnia entia, imò abstracta et merè *possibilia* (1).

Dicitur 4° *repræsentatio alicujus objecti*; quippe quòd idea, ex unâ parte, est *objectiva*, et ex aliâ *parte*, *quodlibet* objectum repræsentare potest, contingens aut necessarium, particulare aut universale, reale aut possibile, physicum aut spirituale.

Dicitur 5° *in mente existens*; sub quo respectu, idea est *immanens* et *subjectiva*. Hæc enim repræsentatio quodam modo est *opus mentis*, et *tota* peragitur in *subjecto*, quod objectum ad se *prehendit*, ac tenet, ut innunt illæ voces quibus idea solet appellari: *apprehendere*, *capere*, *animo tenere*.

(1) Cf. opus nostrum: *La Vie et l'Hérédité*, p. 178-181.

§ II. — De idearum comprehensione et extensione.

164. In quavis ideâ duo distinguere est, nimirum elementa sive attributa quæ includit, et entia quibus convenit.

1° Complexus elementorum quæ continet, *comprehensio*; numerus entium quibus convenit, ejus *extensio* dici solet: v. g., *comprehensio* ideæ hominis denotat varia attributa quæ ad notionem hominis pertinent, scilicet quòd sit animal ratione præditum; *extensio* verò ejusdem ideæ denotat omnia entia quæ *animalitatis* et *rationalitatis* attributis fruuntur, nempe omnes homines.

2° Porrò *inversa est ratio comprehensionis et extensionis*; nimirum alterâ crescente, decrescere alteram, et augescente alterâ, oportet alteram imminui; unde quò major *comprehensio* ideæ alicujus, eò minor *extensio*, et quò major *extensio*, eò minor *comprehensio*; v. g. idea entis in genere minimam habet *comprehensionem*, siquidem unâ totâ constituitur; at habet quàm maximam *extensionem*, cum omnibus ac singulis entibus conveniat. Et major est *comprehensio* notionis hominis quàm animalis, sed minor *extensio*.

165. *Corollarium*. Hinc sequitur: 1° *comprehensionem* alicujus ideæ nec augeri, nec minui posse, quin idea desinat esse eadem, quia *comprehensio* essentiam rei denotat; *extensionem* verò augeri aut minui posse, integrâ remanente ideâ, quia *extensio* ei extrinseca et accidentalis est; 2° *genere* supremorum maximam *extensionem*, minimam *comprehensionem* esse, et contrâ, *specierum infimarum* maximam *comprehensionem*, minimam verò *extensionem*.

§ III. — De variis idearum speciebus.

Ex duplici capite repeti potest idearum divisio, scilicet ex parte objecti cogniti, et ex parte subjecti cognoscentis.

I. *Divisio idearum ex parte objecti.*

166. 1° *Ratione comprehensionis*, ideæ trifariâ dividuntur, scilicet in *positivas* et *negativas*, in *simplices* et *composi-*

tas, in concretas et abstractas. Porrò idea *positiva* designat aliquam proprietatem, v. g. scientia; dum idea *negativa* significat aliquem defectum, v. g. ignorantia.

Ideæ *positivæ* distinguuntur in *simplices* et *compositas*; idea simplex unâ notâ coalescit: v. g. idea entis; idea composita pluribus notis constat et in plures resolvi potest: v. g. idea hominis, vel arboris.

Idea est etiam *concreta* aut *abstracta*, prout objectum exhibet cum suis omnibus notis quibus actu afficitur, vel contrà exhibet subjectum a suis proprietatibus separatum, aut proprietates a subjecto suo separatas, aut repræsentat aliquid universale, v. g. notio pulchritudinis.

2° Ratione *extensionis*, clarissima est divisio idearum in *universales*, *particulares*, et *singulares*.

Idea *universalis* ea est quæ exhibet *aliquid unum quod pluribus inesse et de pluribus prædicari potest*; v. g., idea hominis aut animalis. — Quæ quidem alia est atque idea *collectiva*, licet ea etiam aliquid repræsentet quod pluribus inesse et de pluribus prædicari potest. — Nam idea *universalis* dicitur de *omnibus* et *singulis* aliquo genere comprehensis, idea autem *collectiva* nec de omnibus, nec de singulis, sed de *pluribus* tantum *simul* acceptis; v. g. idea hominis de omnibus et singulis hominibus dicitur, idea verò exercitûs nec de omnibus hominibus, nec de singulis militibus prædicatur, sed de pluribus tantum militibus *collectivè*.

Idea *singularis* denotat *individuum* quoddam determinatum; v. g. idea Socratis. Individuum porrò definitur a S. Thomâ: *Quod est in se indistinctum, ab aliis verò distinctum* (1^a, q. 23, a. 4, c), scilicet quod in plura sibi similia dividi nequit, et constat attributis ita sibi propriis, ut eorum collectio alteri individuo convenire nequeat. Hæ autem notæ sequenti versiculo enunciantur:

Forma, figura, locus, tempus, stirps, patria, nomen;
Hæc ea sunt septem quæ non habet unus et alter.

Idea *particularis*, inter universalem et singularem media, non est aliud nisi idea universalis, *partim* tantum et *modo*

indeterminato accepta; v. g. *quidam* homines, *aliquis* philosophus. — Ut patet ex definitione, idea cum universalis, tum particularis, est abstracta, dum idea singularis est concreta.

167. **Corollarium.** — Probanda non est ea quæ affertur a quibusdam divisio idearum in *veras* et *falsas*, prout objectum suum uti est, vel aliter atque est, repræsentant. Ast autem si ex unâ parte idea, vi definitionis, essentialiter est *repræsentativa*; si autem, ex aliâ parte, quod non est (hujusmodi est objectum falsum) non potest repræsentari, sequitur dari haud posse ideam falsam. Itaque vel objectum manifestatur sicuti est, et habemus ideam veram; vel aliter et falsò, et nullam ideam habemus, quamvis habere opinemur. — In *vulgari* quidem sermone nonnunquam dicitur ideas aliquas esse falsas: at idea jam sensu lato sumitur, ut designet iudicium falsum.

II. Divisio idearum ex parte subjecti.

168. 1° Idea dividitur in *completam* seu *adæquatam* et *incompletam* seu *inadæquatam*; obtinet prior, si aut *omnia* prorsus, aut *primaria* et *ultima* saltem alicujus rei attributa percipiuntur; secus habetur posterior.

2° Idea vel est *explicita*, si aliquid per proprias ejus qualitates percipimus, vel *implicita*, si non per qualitates proprias, sed ob ejus relationem necessariam cum aliâ re explicitè notâ; v. g. qui habet ideam explicitam causæ, implicitam habet effectûs.

3° Ideæ sunt *claræ*, vel *obscuræ*: si prius, objecti essentia perspicuè cognoscitur; si posterius, quædam proprietates cognoscuntur quidem, non autem essentiæ constitutiva; v. g. idea spiritûs pro rustico.

4° Ad eas accedunt ideæ *distinctæ* et *confusæ*; quas ab iis logici quidam haud secernunt. Si tamen secerni velint, idea distincta dicet minus quàm clara, et confusa minus quàm obscura; vocabitur distincta quæ sufficit ad distinguendam rem aliquam ab aliâ, licet ejus essentiam non aperiat; v. g. idea quam habemus de Deo; et erit confusa, si objectum

apprehendat communi solùm et indeterminatâ ratione, ut *aliquid*, non autem ut *quale*; v. g. idea rei longinquæ.

§ IV. — De reductione diversarum idearum ad universaliores et supremas ideas, sive de Prædicamentis et de Prædicabilibus.

169. *Status quæstionis.* Ex dictis sequitur innumeram esse idearum multitudinem; quot enim res, imò rerum aspectus, tot ideæ esse possunt. Porrò quæritur utrùm ad certos numeros revocari valeant, ita ut quædam sint *supremæ* et *universalissimæ*, ad quas cæteræ omnes resolvantur ultimò.

Quæstionem hanc pulchrè tractavit Aristoteles (*De Categoriis*), qui probavit omnia rerum attributa ad *decem* prædicamenta suprema seu *categorias* universales revocari debere.

170. I. *De categoriis.* Eas impræsentiarum breviter referemus, quia in Ontologiâ opportuniùs evolvemus.

Sunt porrò substantia, quantitas, qualitas, relatio, ubi, quando, actio, passio, situs et habitus.

Substantia, sub stare, est ens cui convenit esse in se et non in alio tanquam in subjecto, in quo inhæreat; v. g. lapis, arbor. In illâ velut in subjecto inhærent *accidentia* seu variæ proprietates entis.

Quantitas definitur *accidens quo res aliqua in plures partes dividi potest.*

Qualitas, ut ait Aristoteles, est *accidens quo substantia efficitur talis vel talis*, determinatâ scilicet *dispositione* afficitur; v. g. scientia, ægritudo, vel sanitas.

Relatio est *accidens respectivum*, nempe quo *unum ad aliud refertur*. Nam tota relatorum essentia in eo est ut ad aliud respiciant; v. g. pater relationem habet ad filium, et vice versâ.

Actio est *accidens quo causæ aliquid advenit, cum constituitur actu aliquid efficiens*; v. g. intelligere, loqui.

Passio est *accidens quo ens quoddam recipit in se actionem causæ efficientis*; v. g. moveri, caleferi.

Ubi est *accidens quo substantiæ corporeæ loco circum-*

scribuntur, ita ut sint ibi et non alibi, v. g., domi aut foris.

Quando est *accidens rei superveniens, quatenus tempore mensuratur*; v. g., heri, cras, hodie.

Habitus est *accidens quo designatur modus resultans in corpore ex circumpositione vestium, armorum, vel ornamenti cujuslibet*; v. g. indui talari veste, vel redimiri coronâ.

Situs est *accidens superveniens corpori ex ordinatione partium suarum in loco*; v. g. si dicatur Petrum sedere, vel stare.

Hæ decem categoriæ, ad quæ ceu ad elementa revocatur omnis quæstio, sequenti disticho resumuntur:

Arbor sex servos fervore refrigerat ustos,
substantia, quantitas, relatio, qualitas, actio, passio

Ruri cras stabo sed tunicatus ero.

ubi, quando, situs, habitus.

171. II. *De quinque prædicabilibus.* — 1^o Categoriæ, ut diximus, designant attributa *communissima* quæ de ente aliquo enunciari possunt; nunc inquirendum restat quotuplici modo hæc eadem attributa de ente aliquo enunciari, vel ad ipsum pertinere valeant. Quæstio certi est momenti, quippe quæ non prodest solùm ad *ordinandas* notiones sub decem prædicamentis, sed etiam necessaria est ad præcepta *definitionis, divisionis* ac *demonstrationis* intelligenda.

2^o Porrò quinque sunt communissimi modi quibus attributum de subjecto prædicari potest, scilicet vel ut ipsius *genus*, vel ut *differentia*, vel ut *species*, vel ut *proprium*, vel ut *accidens*. Etenim aut attributum ad subjecti essentiam pertinet, aut non: *si prius*, aut quia totam ejus essentiam designat, et vocatur *species*; aut quia directè designat solùm aliquam essentiæ partem, et jam si hæc pars ea sit quâ res quædam conveniunt, earum genus dicitur; si autem ea sit quâ differunt, *differentia specifica* obtinet. — *Si posterius*, nimirum si attributum non pertinet ad essentiam subjecti, vel ab ipsâ necessariò promanat, vel ei contingenter advenit; in 1^o casu *proprium*, in 2^o *accidens* dicitur.

Genus est notio universalis quæ de pluribus naturâ diversis essentialiter prædicatur, et designat partem essentiæ illis communem; v. g. homo et leo ad idem genus pertinent, ratione animalitatis.

Differentia specifica est notio universalis quæ de pluribus genere similibus prædicatur, secundum quòd naturâ discrepant; v. g. homo et leo, animalitatis genere similes, specie differunt ex rationabilitate et irrationabilitate. Differentia specifica determinat et contrahit genus ex se vagum, illudque in plures species dividit.

Species est notio universalis quæ de pluribus solo numero distinctis essentialiter et adæquatè prædicatur; totam rei amplectitur essentiã et constat simul genere ac differentiã specificã; v. g. species hominis declaratur, si dicitur eum esse animal ratione præditum.

Proprium, strictè acceptum, est notio universalis quæ non essentiã rei constituit, sed ab essentiã necessariò et proximè promanat. Quapropter qualitates subjecto cuidam propriæ necessario ei insunt et semper, quamvis non primo; præsupponunt enim essentiã ex quâ pullulant; v. g. potentiæ animæ nostræ, intellectus, voluntas et aliæ sunt proprium relativè ad essentiã hominis ex quâ defluunt (1).

Tandem accidens est notio universalis quæ contingenter subjecto convenit, ita ut adesse vel abesse possit, salvâ subjecti naturâ; v. g. quòd homo sit albus vel niger, philosophus vel indoctus.

Accidens de quo nunc, scilicet *logicum*, dicitur quoque accidens *individui*, ut distinguatur a proprio, quod etiam

(1) Porphyrius proprium *latius* acceptum quadrifariam dividit; « nam et id quod *soli* alicui speciei accidit, etsi non *omni*, proprium est; ut homini esse medicum vel geometram. — Et quod *omni* accidit, etsi non *soli*, quemadmodum homini esse bipedem. — Et quod *omni*, et *soli*, et *aliquando*; ut homini in senectute canescere. — Et quod *soli*, et *omni*, et *semper*, quemadmodum homini esse risibile, nam etsi non rideat semper, tamen semper est aptus ad ridendum; hoc autem ei semper naturale est ut equo hinnibile. — Hæc autem (ultima) nominantur verè propria, quoniam *convertuntur*; quidquid enim est equus, est hinnibile, et quidquid hinnibile, equus. » (Isagoge, c. iv).

accidens appellari potest, in quantum est extra essentiã rei, quamvis ab eã necessariò resultans; unde vocatur *accidens speciei*.

§ V. — De generum ac specierum divisione et subordinatione.

Tametsi genera et species sint notiones præ aliis universalibus, inter ea tamen *gradus* inveniuntur.

172. Porrò *genus* triplici modo dividitur, videlicet in *supremum*, *medium* et *infimum* seu *proximum*. Genus supremum illud est quod nullum supra se genus, sed genera infra se habet. Genus medium sive *subalternum*, tum supra, tum infra se genus aliquod habet; genus autem infimum, nullum habet infra se genus, sed tantum species.

Præterea, distinguitur genus *remotum* et genus *proximum*; prius ordinem dicit ad species sub se *mediatè* contentas, posterius ad species sub se *immediatè* comprehensas: v. g. genus *proximum* hominis est animal, et genus *remotum* est vivens.

173. *Species* item distinguuntur in *supremas*, *medias* et *infimas*, sive *specialissimas*. Species *suprema* nullam speciem supra se habet, sed tantum genus; habet contra species alias infra se: v. g. species *corpus*, quæ *immediatè* subest generi *supremo* substantiæ, et præest animali.

Species *media* aut *subalterna* supra se habet *supremam*, et infra se *infimam* speciem: v. g. *esse vivum* relatè ad *esse corpus*, est species, et relatè ad *esse animal*, est genus.

Tandem species *infima* aut *specialissima* omnibus speciebus subest, nec ulli præest, sed sub se habet solum *individua*: v. g. species *homo*.

174. *Corollarium 1^{um}*. Ex dictis colligitur genus *supremum* nunquam speciem, et speciem *infimam* nunquam genus effici posse, cum genus *supremum* nulli generi subiciatur, et species *infima* nulli præsit speciei, sed solis *individuis*. At genera *media*, sub *diverso* respectu, sunt simul genera et species; genus, relativè ad speciem cui præsent, et species, relativè ad genus cui subiciuntur: e. g. *corpus* est species, si ad substantiam, genus autem, si ad vivens referatur.

175. *Corollarium 2^{um}*. Ordinationem generum ac specierum adamussim describit schema sequens, vulgò tabula Porphyrii :

SUBSTANTIA.	}	Incorporea.
		Corporea.
CORPUS.	}	Inorganicum.
		Organicum.
VIVENS.	}	Sensu carens.
		Sensu instructum.
ANIMAL.	}	Irrationale.
		Rationale.
HOMO.	}	Socrates.
		Plato.

ARTICULUS II

De ideâ quatenus terminis expressâ.

Circa terminos quærere licet : 1° de illorum naturâ ; 2° de variis illorum speciebus ; 3° de illorum proprietatibus.

§ I. — De terminorum notione et relatione cum ideis.

176. Licet nobis non animo tantùm ideas concipere, verùm etiam exteriùs manifestare. Quæ quidem manifestatio, si voce fiat, termino exprimitur. Terminus ergo definiri potest *expressio ideæ per vocabula*.

177. Quadruplex *discrimen* inter ideam ac terminum discerni potest. Nam 1° idea rem immediatè, mediatè solùm terminus repræsentat, ut dicit S. Thomas : « Vox significat conceptum intellectûs, quo mediante, significat rem. » (*Qq. disp. q. IX de person. divin.*, a. 5, c). — 2° Idea prior est termino, qui non adhibetur nisi ad eam exprimendam. Sub eo respectu, ideæ vocantur a Bacone « *animæ verborum* ». — 3° Ideâ rem nobis ipsis dicimus, termino aliis. — 4° Idea est quid naturale, idemque apud omnes homines ; termini autem non a

naturâ, sed ex hominum *conventione* originem habent ; unde variæ gentes ideas easdem variis terminis significant.

178. Attamen ea est inter ideam ac terminum *connexio*, ut separari ab invicem vix queant ; hinc idea terminum, terminus ideam in mentem revocat ; nec de re aliquâ cogitare fas est, quin ejus nomen statim nobis occurrat.

§ II. — De variis terminorum speciebus.

Aliæ terminorum species seu termino *mentali*, seu termino *orali* communes sunt, aliæ verò terminis *oralibus* propriæ.

I. *Species terminorum termino cùm mentali, tum orali communes.*

179. Illi termini dividuntur sicut ideæ quas expriment. Itaque 1° alii *positivi*, alii *negativi* dicuntur, prout significant ideam positivam aut negativam. — Sapienter tamen admovent logici quosdam terminos *voce* negativos, *sensu* positivos esse : v. g. *infinitum*, *immortale*, *innocens* : hæc quippe voces aliquid positivum innuunt, quoniam defectum remouent ; quosdam autem *voce* positivos, *sensu* negativos esse, siquidem defectum alicujus perfectionis præ se ferunt : v. g. *mortale*, *finitum*, *materiale*. Denique sicut nonnulli termini tum *voce*, tum *sensu* positivi sunt ; v. g. *bonus*, *sapiens* ; ita nonnulli etiam tum *voce*, tum *sensu* negativi sunt habendi ; v. g. *impius*, *injustus*.

2° Dividuntur in *simplices* et *compositos* ; quorum priores uno tantùm vocabulo, ut plurimum, constant : v. g. Deus, homo ; posteriores autem pluribus vocibus, quarum unaquæque aliquid speciale significat ; v. g. homo prudens, domus ampla.

Quod quidem ut sincerè intelligatur, sciendum est terminos *simplices* quadruplicis generis esse ; nempe alios *re* simplices et non *voce*, uti hæc nomina : animal rationale, Julius Cæsar, quia plures voces rem unam denotant ; alios *re* et *voce*, non verò *conceptibus* ; v. g. notio hominis, quia vox ea una est, et rem unam significat, quæ tamen in plures conceptus

resolvi potest, nimirum in conceptum animalitatis, rationalitatis, substantiæ; alios *re, voce et conceptibus*, v. g. *ens, unum, bonum, verum, quæ* unam absolute ideam involvunt. — Alii demum sunt simplices *nomine*, non *re*; v. g. philosophus, poeta, propterea quòd eâ voce duo significantur, nempe homo philosophiâ pollens aut poesi.

3° Termini sunt etiam *substantivi*, vel *connotativi* seu *adjectivi*; priores designant substantiam : v. g. arbor, lapis : vel aliquid per modum substantiæ acceptum : v. g. bonitas, pulchritudo; posteriores autem designant aliquid substantiæ additum, quo afficitur substantia : v. g. sapiens, pius, albus.

II. Species terminorum orali termino propriæ.

180. Ratione *significationis* trifariam terminus dividitur, nimirum : 1° in *significantem* et *inanem*; prior aliquid reale manifestat : v. g. Deus, homo, motus; posterior verò is est cui nihil in naturâ respondet : v. g. centaurus, mons sine valle, et alia id genus. — Juxta nonnullos logicos, terminus inanis est qui sensu omni destituitur : v. g. *blityri*. At ista definitio repugnare videtur notioni termini, qui ex naturâ suâ habet ut significet aliquid; ut pulchrè ait Aristoteles, tum nomen fit, quum fit *symbolum*.

2° In *univocum, æquivocum et analogum*. — Terminus univocus dicitur de pluribus rebus secundum eandem omnino rationem : v. g. humanitas de Socrate et Platone, animalitas de homine et bove. — Terminus æquivocus, de pluribus dicitur secundum rationem omnino diversam : v. g. vox gallus, quæ hominem aliquem et animal æquè designat. Ex his nominibus amphiboliæ sophismata oriuntur. — Terminus analogus medium locum occupat inter terminos univocos et æquivocos; de pluribus enim dicitur secundum rationem nec omnino eandem, nec omnino diversam, sed secundum *remotam* quamdam similitudinem : v. g. sanitas prædicatur de corpore, de medicinâ et pulsu; eò quòd inest corpori tanquam subjecto, reficitur a medicinâ, et pulsus motibus indicatur.

Terminus analogus ipse *duplex* distinguitur, analogus nimirum per *attributionem* et per *proportionem*. In priori casu, eodem nomine appellantur res quædam, quoniam ad idem relationem habent, quamvis diverso modo; nempe qualitas in unâ re est principaliter et primò; in aliis autem secundariò et quatenus ad primam referuntur : v. g. sanitas primò dicitur de corpore sano, et secundariò medicinæ et pulsui attribuitur, prout ad sanitatem ordinem habent. Illud ad quod cæteræ res analogæ referuntur, vocatur etiam analogum *princeps*.

Adest analogia proportionis ubi terminus idem dicitur de pluribus rebus, ob quamdam similitudinem in *effectu* producto; sic ridere dicitur de homine et prato; sic etiam intelligentia vocatur oculus animæ, quia quod oculus corpori, hoc animæ præstat intellectus. — Ex eâ porrò analogiâ proportionis *metaphoræ* deduci solent; ita homo qui ratione non utitur, *brutum*; qui autem fortiter pugnat, *leo* appellatur.

3°. Denique terminus dividitur in *fixum et certum*, et *vagum* atque *incertum*, prout ad unum solummodo significandum semper adhibetur; v. g. homo, circulus; vel modò illud, modò istud indiscriminatim significat; qualis est vox *natura*, quæ nunc rerum Auctorem, nunc rerum creatarum complexionem designat, nunc verò essentiam alicujus entis. Hinc prior terminus semper est clarus, dum posterior obscurus quandoque esse potest.

§ III. — De terminorum proprietatibus.

181. Quinque præcipuæ a logicis distingui solent proprietates terminorum, nimirum *suppositio, appellatio, ampliatio, restrictio et alienatio*.

1° *Suppositio est acceptio seu positio termini pro re ipsâ quam designat*; v. g. cum dico : *Virgilius fuit poeta*, pono vocem *Virgilius* pro viro de quo loquor, et vocem *poeta*, pro qualitate quâ vir ille fuit exornatus. Ut enim in arithmetica et in algebrâ, numeros et litteras adhibemus pro rebus ipsis com-

putandis, sic in sermone vocabula rerum pro rebus ipsis usurpamus.

2° *Appellatio est applicatio unius termini super alium*, seu attributio unius termini ad rem significatam per alium; v. g. cum dico : *Deus est sanctus*, qualitas *sanctus* applicatur Deo, quasi modus ejus essendi. Terminus applicatus dicitur *appellans*, terminus autem cui fit applicatio, dicitur *applicatus*.

3° *Ampliatio est extensio termini a minore ad majorem significationem quam per verba ipsa significatur*; v. g. in hac propositione : *Mites possidebunt terram*, vox *possidebunt* quæ ex se non nisi futurum respicit, extenditur ad tempus præsens et præteritum.

4° *Restrictio econtra est coarctatio termini a latiori ad strictiorem significationem*; v. g. in hac propositione : *Eva fuit mater cunctorum viventium*, vox *viventium* quæ animalia ipsa amplectitur, restringitur ad solos homines. — Ex naturâ ipsâ rerum de quibus agitur patet an per restrictionem aut per ampliationem termini sint intelligendi.

5° *Demum alienatio est acceptio termini in sensu non proprio, sed metaphorico et figurato*; v. g. cum Apostoli a Christo dicuntur *lux mundi* et *sal terræ*, termini *lux* et *sal* alienantur a proprio sensu, et ad alium declinantur.

ARTICULUS III

De definitione.

Dicemus 1° de notione ac variis speciebus definitionis; 2° de legibus definitionis strictæ et essentialis; 3° de utilitate definitionis; 4° de regulis in illius usu servandis.

§ I. — De notione ac variis speciebus definitionis.

182. *Ejus notio.* — Definitio nomen habet a *finibus*. Ut enim agri, alii ab aliis finibus suis distinguuntur, sic definitione res aliæ ab aliis possunt secerni. Quippe declarat *quid res sit*, et *quid non sit*, ac proinde quomodo ab aliis rebus debeat distingui; hinc definitio in universum sumpta, *nihil est*

aliud nisi explicatio quæ respondetur interroganti quid aliquid sit.

183. *Ejus species.* — Vel quæritur quid sibi velit aliquod nomen, vel quid sit res aliquo nomine designata. Hinc definitio *nominalis* et definitio *realis*.

1° Definitionis *nominalis* triplex species distinguitur, videlicet *etymologica*, *communis* et *privata*. — 1. Definitio *etymologica* sensum vocis alicujus explicat ex ejus *origine* seu *radice*; v. g. : *Philosophia* dici potest *studium sapientiæ*, quia oritur ex vocabulis græcis *φιλοσοφία*, quæ amorem ac studium sapientiæ præ se ferunt.

Porrò quanquam etymologia magnam sæpe vim habet, non tamen semper absolutam, quia, ut advertit S. Thomas, aliud est quandoque *a quo* imponitur nomen, et aliud *ad quod* significandum imponitur. — Insuper, significatio vocum temporis tractu non rarò immutatur, receditque a primâ sua institutione; cujus modi sunt voces *sophista*, *centrum*, *linea*, *sexcentæ* id genus.

2. Definitio *communis* vocatur, si declaret sensum qui nomini cuidam usu et consuetudine hominum attribuitur : v. g., juxta communem sensum ex consuetudine receptum, anima definitur a S. Thomâ, « primum principium vitæ in his quæ apud nos vivunt : animata enim viventia dicimus, res verò inanimatas vitâ carentes. » (1^a q. 75, a. 1, c).

3. Contra definitio est *privata* cum quis propriâ auctoritate tali nomini talem significationem imponit; v. g., si dicas : animam humanam voco substantiam spirituales, corpori substantialiter unitam, nec tamen intrinsecus pendentem a corpore.

2° Definitio *realis* duplex distinguitur, *descriptiva* scilicet et *essentialis*. Prior (quâ poetæ et oratores præsertim utuntur) non strictè rei naturam explicat, sed fuso stylo attributa ejus accidentalia exponit, vel qualitibus potioribus secundarias permiscet. Sic Tullius hominem definit : « Animal providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis et consilii. » (*De leg.*, l. I, c. 7).

Porrò multiplici modo describi potest ens aliquod; inde